



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

De seruo vigili, Sermo XXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](#)

vēdamus, ut largiamur, ut donemus, qui in cœlesti regno omnia quæ in cœlo, & quæ in terra sunt, voluimus possidere. Sed si vis seruare tuorum precia prædiorum, & sæculorum fortè condita te delectant, fac tibi sacculos quales ille præcepit, qui iam cupiditas tuæ custos est & prouisor. Denique, ut vidi, quod duriter dixit. Vendite quæ possidetis: mox adiecit. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt: thesaurum non deficientem in cœlis.* Iterum contristatus es: quia quod habes, in cœlis cogeris collocare. Rogo crēde Deo tuo, qui seruo credis: & magis Deo, quam homini commenda. Sed si times, ne quid inde præsumat, ne quid disperget pietas largitoris, signa fidei annulo sacculos tuos: ut tali custode dormias tu securus: quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. Non poterit tibi tuam pecuniam denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui te regni sui & honore ditauit, & gloria.

De seruo vigili, Sermo XXIV.

SEmper & ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat: quia re vera plus vigilare, plus viuere est. Nam quid tam morti simile, quam dormientis asperitus? quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Indulgendum somno est, ut corpus reparet, non resolutum: & vires reuocet, non eneruet. Semper ergo ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat. Qua pars, quod opus, quod tempus, quæ potestas, quod officiū, non vitæ lucra lucubratione perquirit? Hinc est quod rex in procinctu per vigil callidi hostis præcauet, & ex uitat insidias: tunc in castris miles superuenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Sic nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, & calles transit inuios, & vestigio furtiuo ad lucrosi portus votiuam peruenit mansionem. Hinc pastor adiungit:

iungit noctes diebus , & totum sibi tempus denegat
 dormiendi:ne qua lupis suffragante somno,grassandi
 in gregem præbeatur occasio.Sic viator solers per au-
 ras noctis æstus solis præuenit : actumque diem pro-
 uidentius deputat mansioni. Hoc Prophetæ sciens nō
 die solo , sed de nocte.tota clamabat ad Dominum: *Psal. 87.*
Domine Deus salutis meæ in die clamaui , & nocte
coram te.Quid plura?Ipse dominus pernoctat in ora-
tione Dei:vt antè nos oratione liberet,quam redimat
passione. Et si pro seruis dominus vigilat:merito pro
seipsis seruos,vigilare sic iubet. Præcincti, inquit , sint *Luc. 12.*
lumbi vestri , & lucerne ardentes in manibus vestris, & vos
similes hominibus expectantibus dominum suum , quando
veniat à nuptiis.Sint lumbi vestri præcincti.Nouus ordo
vigiliarum,nouus habitus imperatur. Sint lumbi vestri
præcincti ; & lucerne ardentes in manibus vestris. Nil de
vestitu,nil de calceamentis,nil de ipsius occensus ap-
paratu serui vigiles admonentur , sed tota in præcinc-
gendis lumbis mandatur cura,tota in constringendis
lùbis statuitur vis præcepti , additio lucernarū sola-
tio tantum , sine quo nec noctis aperitur obscuritas,
nec venientis diei clarescit aspectus. Sint lumbi vestri
præcincti , & lucerne ardentes in manibus vestris. Cingulū
quidē est propriè indicū seruitutis:quod & discursus
expeditos reddat , & faciat obsequētes.Sed dixisse suf-
fecerat,estote præcincti:cur lùbos potissimū nominat?
cur tāta iubētis reuerētia lùborum facit magnopere
mētionē?Quēris quare?quia in lùbis est tota corporis
causa, ex lùbis tota carnis negotia suscitātur,in lùbis
tota est humani lap'us , humanæ fragilitatis occasio.
Inde venit quod virtutis ignaros reddit,efficit segnio-
res. Hinc est ergo quod principaliter dominus lùbos
nostros astringi iubet baltheo castitatis:& totū carnis
nostræ pēdulū,fluidū, resolutū,cōstringi mādat cōti-

nua zona virtutis: ut carne succincta ad domini occur-
sū liber, velox, expeditus nostræ mētis reddatur inces-
sus. Hæc tamē audiēs homo scire debes, quia nō retar-
dat ab occursu Dei caro: quia ipsius occursus, officij
ipsius est inseparabilis comes, si tu eius cōponas sar-
cinas, si reueles onera eius, si pēdula & sinuosa iniuolu-
cra eius tu prouidus viator astringas. Quid plura? Erit
tibi salubre cōtuberniū, si tu eius deses & resolutus nō
fueris institutor: quēadmodū autē debeas æquare sar-
cinas eius, eius pōdera iniusta moderari, Apostolus e-
docet, sic dicēdo: Mortificate mēbra vestra, quæ sūt su-
per terrā: fornicationē, immunditiē, libidinē, cōcupi-
scētiā malā, & auaritiā, quæ est idolorum seruitus.
Constringenda est ergo caro continentia cingulo, ne
effusa vitiis, aē toto peccatorum grauata pondere, su-
pernis & cœlestibus insistere non possit incessibus.
Bene ergo dominus adiecit: *Et lucerne ardentes in ma-*
nibus vestris. Quia semper ad innocentia testimonium
lucernæ nocturno portantur in tempore: & sicut vi-
tiis amicæ semper sunt tenebrae, ita lucernæ semper
inimicæ criminibus: sociæ sēper boni operis sunt lu-
cernæ. Sed in manibus sanctorū ipsa bona opera sunt
lucernæ, dicente Domino: Sic luceat lux vestra coram
hominibus, ut videant vestra bona opeta, & magnifi-
cent patrem vestrum qui in cœlis est. Et verè portant
lucernas suas, verè fomentis operum, verè misericor-
diæ vnguento inflammant lampades suas, quæ cum
loco, proposito, studio, latitant: opere, virtute corus-
cant, ac splendent toto orbe terrarum. Et quia expe-
ctationis suæ Dominus satis tristes, satis anxiros nouerat
mores: ne quis superaretur tædio, ne quis lassif-
ceret tarditate, ne quis longæ expectationis fatiga-
tionē succumberet, perseverantibus beatitudinem
cœlestem, cœleste promittit obsequium. *Beati, inquit,*
serui

Cal. 5.

Matt. 5.

serui illi, quos cum venerit dominus, inuenierit vigilantes. Et ne ipsius beatitudinis qualitas haberetur incerta, mox adiecit: *Amen dico vobis, quia præcinget se, & faciet illos discubere, & transiens ministrabit eis. Præcinget se Deus, & faciet seruos discubere, & ministrabit eis.* Enim mutatio inaudita rerum, enī terribilis correptio dominationis, enī pauenda conuersio seruitutis: quia parū per seruus assistit in domini sui expectatione succinctus: & sustinendi fidem breui fatigatione portavit: cui ut talionem redderet, dissimulat se in ipsa diuinitate diuinitas. *Præcinget se, & faciet illos discubere, & transiens ministrabit eis.* Discubenti homini Deus astat, & astat in cælestibus, epulanti seruo seruit Dominus, & seruit accinctus: pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus: & facit in patris iam gloria constitutus. Homo calumniaris: est adhuc quod detulerit patri, qui tibi in terra lauando pedes, extre-
num repræsentauit obsequium, & reprimitt in cælestibus nouissimam seruitutem: Crede haeretice, & tu illi stude reddere talionem. Ille tibi in cælestibus parat conuiuium seministro, & tu illi in terra non de-
finis continuas ingerere & generare blasphemias: fa-
ciet & ille transitus suos, quia transiens ministrabit illis: de dominatione fidelium suorum pia transiet & migrabit obsequia: ad te de misericordi patre seuerif-
simum transibit in iudicem. *Et transiens ministrabit il-*
lis. Confitentibus, expectantibus ministrabit epulas,
ministrabit & tibi, sed dignam de tua negatione sen-
tentiam. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vi-*
gilia venerit, & ita inuenierit, beati sunt serui illi. Si in se-
cunda & tertia vigilia venerit: vigilias mundus plu-
res, tres tantum vigilias nouit expectatio Trinitatis:
quare tamen à secunda cœpit, & tacuit primam? *Quia*
prima iam vigilia in ortu dominicæ nativitatis exces-

serat. Probant hoc pastores , qui dum supra gregem suum vigilant, gregis ipsum pastorem in præsepio inuenire, videre, tenere merentur & authorem, sed quæ sit secunda & tertia vigilia requiramus. Sicut utique prima vigilia est sui ortus in carne , ita secunda est vigilia , qua nostra redit & resuscitatur in carne. Denique ut ad resurgentem veniat, annuus excitatur, & euigilat mundus. Tertia vigilia est illa , qua expectatio tota nouissimo venientis finitur aduentu : ut sicut ille resurrexit nobis , ita nos illi iam perpetuam resurgamus ad vitam.

De terrenorum cura despicienda, Sermo XXV.

Hodie Dominus euangelici gregis pusilla & terrena primordia quam blanda exhortatione sic consolatus, audistis. *Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Aufert spes anxias, dubios tollit euentus, omnemque propellit, & excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. *Quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Quis de vietu, quis de vestitu, quis de plebeio censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi inuidet qui eleuatus ad summa, ipse se ad humilia deiicit, ad egena deponit. Sed scire conuenit, pater iste qui est, vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis sit iste pater, quotidie te constante cognoscis, cum clamas; Pater noster qui es in celis. Qualis autem sit, ipsa operum magnitudine peruidisti: ex nihilo fecit celum, terram solidauit ex liquido, montes statuit ad stateram, maria intra legitimos terminos sola præcepti authoritate, conclusit. Verū si regni, quod promittit pusillus, desideras nosse Mar. 19. qualitatem, ipse aperit, sic dicendo. Sinite paruulos venire